

Alia pars :

In omnibus rebus, gradibus et qualitate personarum est quidam debitus et laudabilis modus et mensura unicuique rei congrua et conveniens, quæ quanto exactius et diligentius servatur, tanto magis ab omnibus commendatur; propterea vadit pars: quod, ut quædam mala introducta consuetudo tollatur penitus e medio, non possit aliquis nobilis noster, electus ad aliquod regimen et officium, seu beneficium, adire domum serenissimi principis, ad agendum ei gratias, nec immediate post electionem factam, nec quando accedit ad regimen, nec quando ab eo revertetur, sive quando ingredietur magistratum vel regredietur, sub poena ducatorum 500 cuilibet contrafacenti et accedenti ad tale officium faciendum; et eamdem poenam cadant ille vel illi qui eum comitarentur. Praeterea non possit aliquis mittere sponsam aliquam ad visitationem serenissimi principis, nisi sponsus aut sponsa sint ei tali affinitate coniuncti, quæ expellat eum a capello, sub eadem poena. Cuius poenæ, tertium sit accusatoris, qui tenetur de credentia, tertium advocatorum communis, quibus commissa sit ipsa executio, et aliud tertium sit nostri arsenatus. Demum, ad removendum omnem murmurationem et invidiam, captum sit, quod serenissimus princeps noster non permittat sibi deobsculari manum ab aliquo, nec quod aliquis stet cum genibus in terra ante suam serenitatem. De parte 1190, no 58, non sinceri 5.

Alias pars :

Per capita 65 et 194 promissionis serenissimi principis, loquentia de bulatore, decretum equidem sapientissime fuit, quod ipsi bulatores eligerentur per ipsum serenissimum principem, consiliarios et capita de quadraginta, ad busulos et balotas, ex illis nostris civibus originariis nescientibus legere et scribere, qui in notario scripti essent etc. ut in illis. Et quoniam tale capitulum observatum non fuit, captum sit et addatur, quod in futurum, subito cum officium bulatoris vacaverit, electio illius fieri de predictis debeat, ad busulos et balotas, inter serenissimum principem, consiliarios et capita de quadraginta et totum collegium, intervenientibus etiam capitibus consilii nostri X, quibus una cum Dominio commissa est tota cancellaria; et servari debeat lex de precibus sub poena duci contrafacenti ducatorum 500 auri, auferendorum per advocatores communis

et per capita consilii X in bonis serenitatis sua viventis; et, si non exigentur in vita, exigantur omnino post mortem, et tamen omnis electio facta contra praesens decretum sit nulla, et per advocatores communis cancelletur, et fiat nova electio bullatoris, per modum superius expressum. Massarius vero cancellariae nostræ, qui similiter eligi debeat per Dominium nostrum, poni debeat per Dominium juxta formam electionis sue sub pena suprascripta, et si aliter fieret in posterum non valeat, nec teneat, et per Dominium aliud ponatur loco illius.

Et a l'incontro sier Hironimo cha' da Pexaro e sier Marco Antonio Morexini, el cavalier, consieri, volunt partem suprascriptam cum haec additione, quod committatur tribus eligendis post prandium, quod inquirere diligenter debant, an bullator et massarius praesentes electi fuerint contra formam promissionis sue, et in tali casu illico removere eos debeat et privare officiis ipsis in executionem ordinum nostrorum. De parte 1134, de no 2, non sinceri 3.

*Die 27 septembri post prandium.*

Vetitum est posse scribi litteras per serenissimum principem in multis casibus specificatis et in curiam in commendationem alicuius et ad alia loca, introductum autem est, quod id, quod fieri non potest per litteras plumbatas, sit, indirecto, per litteras particulares, scriptas ab aliquo familiari serenissimi principis. Cui inconvenienti, cum sit opportune providendum, vadit pars, quod, si serenissimus princeps scriperit aut scribi fecerit, per litteras privatas, tam suas, quam alicuius alterius personæ, id quod per deereta et ordines nostros prohibitum est 57 scribi per serenitatem suam, in tali casu serenitas sua teneatur ad poenam ducatorum 200, pro qualibet vice, exigendorum per advocatores communis in vita sua, et per tres sapientes eligendos post mortem, sicut in aliis partibus hodie captis continetur. Praeterea ille talis, qui tales litteras scriberet, cadat ad eamdem poenam, ut supra exigendam, et ulterius sit banitus de Venetiis per quinquennium. Insuper capitulum, additum et provisum sit, quod serenissimus princeps non possit aperire alias litteras sibi directas, sine interventu saltem unius consiliarii aut duorum ex sapientibus collegii, salvis remanentibus omnibus aliis ordinibus super hoc captis. De parte 1213, de no 56, non sinceri 7.